



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Cuius rei sacramentum sit coniugium. F. G

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

Qui etiam post virum dimittere vxorem prohibuit, nisi causa fornicationis. Apostolus etiam ait, *1. Cor. 7. e.*

Virgo non peccat, si nubat. Constat ergo rem bonam esse matrimonium: alioqui non esset sacramentum, Sacramentum enim sacrum signum est.

Cuius rei sacramentum sit coniugium. C

Cum ergo cōiugium sacramentum sit, & sacrum signum est, & sacræ rei scilicet coniunctionis Christi *Ephes. 5. g.*

& Ecclesiæ, sicut ait Apost. Scriptum est, inquit, Relinquet homo patrem & matrem, & adheret uxori suæ: & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est. Ego a. dico in Christo & in Ecclesia. Ut enim inter coniuges coniunctio est *Genes. 2. d.*

secundum consensum animorum & secundum permutationem corporum: sic Ecclesia Christo copulatur voluntate & natura, qua idem vult cum eo: & ipse formam sumpsit de natura hominis. Copulata est ergo sponsa sponso spiritualiter & corporaliter, id est, charitate ac conformitate naturæ. Huius vtrisque copulæ figura est in coniugio. Consensus enim coniugum, copulam spirituales Christi & Ecclesiæ, quæ fit per charitatem, significat. Commixtio vero sexuum, illam significat, quæ fit per naturæ conformitatem.

Qualiter intelligendum sit illud, Mulier illa non pertinet ad matrimonium, cum qua non est commixtio sexuum. D

Inde est, quod quidam doctorum dixerunt, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, quæ non experitur carnalem copulam. Ait enim Aug. Non dubium est illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuisse commixtio sexus. Item Leo Pap. Cum societas nuptiarum ita à principio fit instituta, ut præter commixtionem sexuum non habeat in se Christi & Ecclesiæ sacramentum: nõ dubium est illam mulierem non pertinere ad matrimoniũ, in qua docetur non fuisse nuptiale mysterium. Itẽ Aug. Nõ est perfectũ con-

*Leo i. cap. 4.
epist. 90. ad
Rusticum
Narbonens.
Aug. in soli-
loquiis.*

in iugum sine commixtione sexuum. Hoc sic secundum superficiem verborum quis acceperit, inducitur in errorem tantum, ut dicat sine carnali copula non posse contrahi matrimonium: & inter Mariam & Ioseph non fuisse coniugium, vel non fuisse perfectum: quod nefas est sentire. Tanto sanctius fuit atque perfectius, quanto à carnali opere immunius. Sed superius posita ea ratione dicta intelligendum est, non quin pertineat mulier illa ad matrimonium, cum qua non est permixtio sexuum, sed non pertinet ad matrimonium, quod expressam & plenam tenet figuram coniunctionis Christi & Ecclesie. Figuratur enim illam unionem Christi & Ecclesie, quæ est in charitate sed non illam quæ est in naturæ conformitate. Est ergo & in illo matrimonio typus coniunctionis Christi & Ecclesie: sed illius tantum, quia Ecclesia Christo charitate vnitur: non illius, quæ per susceptionem carnis, capitimembra vnuntur. Nec ideo tamen minus sanctum est coniugium: quia ut ait Aug. In nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quam fecunditas vëtris. Est etiam coniugium signum spiritualis coniunctionis & dilectionis animorum, quæ inter se coniuges vniri debent. Vnde Apost. ait, Viri, diligite vxores vestras, ut corpora vestra,

QUÆ SVNT CONSIDERANDA IN CONIVGIO.

DISTINCT. XXVII.

Post hæc aduertendum est, quid sit coniugium, & quæ sit efficiens causa coniugij, & causa propter quam contrahi debeat, & quæ sit bona coniugij, & quomodo per ea excusetur coitus carnalis, quæ sint legitimæ personæ ad matrimonium. Sunt & alia plura in matrimonio consideranda, quæ sub compendio perstringemus.

Quid sit coniugium.

Sunt ergo nuptiæ vel matrimonium viri, mulierisque coniunctio maritalis, inter legitimas perso-

Ephes. 5. 2.

*Aug. in libr.
de bono con-
iugali, c. 18.
in to. 6.
Ephes. 5. c.*